

B. M. II, 27  
h. 2, 8.

27

X 1876240



J. C. S!  
**HISTORIAM  
AUREÆ BULLÆ**

Indultu  
**Amplissimæ Facult. Philosophicæ**

in  
**ACADEMIA LIPSIENSI**

d. XIII. Maji Anno M. DC. XCVI.

P. P.

**M. JOH. CHRISTIANUS SCHELLE/**  
SS. Theol. Cultor,

*Respondente*

**JOH. CHRISTIANO REY/ Lips.**  
Phil. & SS. Theol. Stud.

---

Typis CHRISTIANI GOEzl.

*Mons. Grußw.*

*J. J.*



12 C 81  
МАЯОТНІИ  
АУРЕНЕ ПОНІК  
Амб'ї Гусе Підлогопівніс



JOH. CHRISTIANUS GÖTTSCHE LIPSIENS

5.22

JOH. CHRISTIANUS GÖTTSCHE LIPSIENS

## SUMMARIUM DISSERTATIONIS.

§. 1. Regna non ubique absoluta. §. 2. In Imperio R. Germanico habentur leges fundamentales certae, inter quas & A. Bullæ, de qua hoc loco. §. 3. Quæ A. B. heic intelligenda. §. 4. Unde nomen accepit. §. 5. Descriptio A. B. §. 6. Author fuit Carolus IV. hujus ortus. §. 7. Occasio Imperii ejus. §. 8. Exiguam laudem invenit. §. 9. 10. II. Damna varia Imperio infert. §. 12. Hinc male audit apud varios, §. 13. Bella Caroli IV. §. 14. Encomia ejus. §. 15. A. B. saluberrimum ipsius institutum. §. 16. Ante A. B. Status Imperii turbulentus. §. 17. Status Imperii ante A. B. tempora qualis ratione successionis. §. 18. Ratione Electorum. §. 19. Electores in A. B. non instituti. §. 20. Causæ turbarum ante A. B. §. 21. Imperium ante A. B. subinde diutius vacavit, Moguntinus ad electionem Cæs. convocavit. §. 22. Quidam interdum omitti ab electione. §. 23. In Electione Electores sæpe discordes fuere. §. 24. De Coronatione Cæs. quid ante A. B. receptum fuit. §. 25. Vicarius ante A. B. Palatino competiit. §. 26. Officia sua Electores jam jam obtinuerunt. §. 27. 28. de Jure & coedigias controversiae. §. 29. A. B. ob ista dissidia tollenda fuit composita, ubi? §. 30. Singuli Electores exemplar possident, itemq; Francofurtum. §. 31. Lingua Lat. fuit scripta. §. 32. In Comitiis lata. §. 33. Inde solus Cæsar eam mutare nequit. §. 34. nec soli Ordines. §. 35. ad 48. Materia in Aurea Bulla tractata. §. 49. 50. In Capitulationibus A. B. prospicitur. §. 51. Recapitulatio tractationis presentis. §. 52. 53. A. B. sæpe mutata vel non observata, v. g. circa institutionem Electoratus oclavi. §. 54. 55. Circa Vicariatum ex hypothesi. §. 56. 57. Circa tutelam Electoralem. §. 58. Circa annos maiorenitatis pupillorum Elect. questio. §. 59. Bohemus ad electionem Cæs. non vocatur, querelas instituit. §. 60. Controversia de Jure Coronandi inter Moguntinum & Colonensem. §. 61. de Rege Rom. constituendo disputatur inter Cæarem & quosdam Electores. §. 62. Jus monetandi hodie præter Electores, alii etiam Status imo & non- Status possident. §. 63. Bavarus nunc Pönum Imperiale in Insigniis gerit, Palatinus Coronam loco istius assumre debuit. §. 64. Epilogus.

§. I.



Vemadmodum Regna non ubique absoluta, sed  
sæpe etiam limitata ac restricta in orbe reperi-  
untur; ita statum seu formam eorum facile  
distinguere poteris, ubi observaveris, num is,  
qui gerit summum impium in civitate, exerceat  
actus suos libere; num vero ad certum regnan-  
di modum præscriptum sese componere necessum habeat. Ubi  
enim populo cuiquam, unius hominis libero judicio ac voluntati  
absolutæ regimen concedere non est visum; ibi modum, media-  
que in administrando imperio restricta fuisse, quivis facile animad-  
vertit. Est vero ea obligatio interdum laxior, & non nisi con-  
scientiam Imperantis tangit; si nempe talia ipse sub initium Im-  
perii promisit, quæ quidem absque violatæ fidei crimine negligere  
nequit; civibus tamen jus non tribuunt, imperata & decreta ejus  
abnuendi, vel susque deque habendi; cum initio Imperii cautum  
de eo non fuerit, quod, si salus publ. à promissis istis recedere  
suadeat, cives prius quæri debeant. Interdum vero obligatio ea  
est magis stricta, quando videlicet leges certæ fundamentales,  
quas vocant, proponuntur novo Principi, sub quibus ad Im-  
perium admittatur, & quæ eam habent efficaciam, ut actus ab iis  
discrepantes irriti censeantur, obsequiumque civium citra istarum  
observationem, ex modo præscripto suspendatur.

§. II.

Sic in Imperio Romano-Germanico leges ejusmodi fundam.  
etiam extant, quas Imperator fasces Imperii prensatus ratas ha-  
bere debet; cum in Capitulatione jurato in eas promittendum ipsi-  
sit. Offeruntur tamen illi leges hæ non ex vi Imperii in ipsum,  
sed per modum contractus. Nam non tenetur in eas absolute con-  
sentire; sed si duriora, quam quæ observari à se posse credit, vi-  
deantur, eas, una cum Imperio ipsi declinare integrum est. Tales  
leges fundam. sunt Aurea Bulla, Capitulatio Cæsarea, Pax Profa-  
na, Pax Religiosa, Pacificatio Osnabrug. Animum ego induxi  
hac vice, de prima isthac Lege nempe *Aurea Bulla* ea, quæ ad hi-  
storiam

istoriam ejusdem spectant, pro ingenii modulo quædam ex monu-  
mentis publicis referre.

§. III.

Facile autem appareat, de quanam Aurea Bulla heic sermo mihi sit futurus: nimicum de non alia, quam A.B. Caroli IV. quæ *κατ' εξοχὴν* ita vocatur. Sunt enim adhuc aliæ, quæ dicuntur, A. Bullæ, quarum passim in historia mentio fit. Sic v. gr. notum, quod Sigismundus Imper. talem ediderit, quam exhibet *Goldastus P.2. der Reichs-Satzung p. 105. & Tom. i. Constit. Imper. p. 166.* Fridericus II. anno 1213. etiam A.B. promulgavit, quam itidem *Goldast. Constit. Imp. T. 1. p. 23.* affert. Aliam Henrici VI. vid. *ibid. T. 3. p. 364.* De his tandem omnibus jam non tractamus, sed uti dixi, de A. Bulla Caroli IV. per excellentiam ita dicta, quam *Dietrichus ad A. B. p. 3.* definit, quod sit *Pragmatica sanctio, lata Norimbergæ ab Imperatore & Statibus Imperii anno 1356.* leges continens fundam. juxta quas regimen & acta Imperii gravissima sunt suscipienda & expedienda.

§. IV.

Nascitur mihi inde materia ex historia illam illustrandi. Dicitur hæc sanctio Caroli IV. *Aurea Bulla*, denominatione tropica, nempe ab appensa eidem bulla aurea, seu sigillo aureo. Usitata enim jam olim bulla fuit per modum sigilli, hinc *bullare* idem ac *sigillare* apud varios notat, indeque literæ bullatæ notæ. Diversa autem bullarum erant genera, modo usurpabatur *aurea*, modo *argentea*, modo *plumbea* &c. Aurea tamen Imperatores usos fuissent refert *Limnaeus*, quando scripserunt ad Reges, vel cum res majoris momenti fuit. Cumque sanctio hæc, de qua dicimus, conderetur, eidem etiam bulla talis aurea appendebatur, & inde postmodum nomen suum fortita est.

§. V.

Ut de Bulla appensa non minus ipsa, quam toto hoc opere melius constet, iubet adferre ejus descriptionem, uti exhibetur à Pileo Cardinali, Urbani VI. Papæ in Germaniam Legato, ap. *Thulemar. de Bulla Aurea Argentea &c. c. 8. §. 9.* scribit autem ita: *Prædictus liber (Aurea Bulla) scriptus in Pergamento in 24. foliis cum apertura grossa.* In quo erant scripta diversa negotia sacrum Imperium & Electores ejusdem tangentia. Qui quidem liber transfi-

xus erat cum filis sericiis glauco rubei coloris involutis cum Bulla  
seu sigillo aureo rotundo Imperiali appendente. In cuius uno latere  
apparebat figura Imperialis in maiestate sedens, cum corona Impe-  
riali in capite, habens in dextra sceptram & in sinistra pomum cum  
cruce desuper, modo Imperiali, & a latere dextro clypeum cum  
aquila, & sinistra clypeum cum forma leonis. In circumferentia au-  
tem legebantur haec verba: Carolus IV. Divini favente clementia  
Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemia Rex. Ab alie-  
ro vero latere castrum magnum cum duabus turribus habens portam  
inferius in medio cum literis: A U R E A Q R O M A. In circumfe-  
rentia autem legebantur haec verba: Roma caput mundi regit orbis  
frena rotundi.

### §. VI.

Author igitur, uti titulus monstrat, ab una parte fuit Impera-  
tor Carolus IV. à Johanne, Bohemiæ Rege genitus, Hunc primo  
in Baptismate Wenceslaum dictum fuisse memorat Eneas Sylvius  
hist. Bohem. c. 33. & posteà in Confirmatione (Papistis Sacramen-  
tum est) Caroli demum nomen tulisse, authore Carolo Pulchro  
Rege Franciæ, apud quem pueritiae annos peregit. Huic autem  
opinioni refragari videtur die Ordnung über den Gottesdienst der  
Kirchen und Chorherren zu Carlstein de anno 1357. vid. Goldast. in  
Reichs-Sitzungen. ex cuius subscriptione patere videtur, in Bapti-  
smate jam jam nomen istud Carolum accepisse: ita enim habetur:  
Also haben wir auf unsern neuen Schloß Carlstein / so wir von neu-  
en aus dein Grunde erhoben / und deme den Nahmen von unsern  
Lauff-Nahmen gegeben. Existimant tamen nonnulli, Carolum heic  
per Lauff-Nahmen nomen in Confirmatione impositum intendisse.

### §. VII.

Imperium Carolus IV. post varias turbas obtinuit. Primum  
electus quidem ipse fuit Imperator contra Ludovicum Bavaram,  
Papæ instinctu, qui hunc excommunicaverat, dum ipsi con-  
trarius admodum erat. Ast pro Imperatore tamen nondum  
omnes Carolum agnoscebant, quin nonnulli Electores mortuo  
Ludovico Bavarо, alias quærebant Imperatores, primò quidem  
Eduardum Anglum, qui verò Imperium recusabat: Deinde Fri-  
dericum Bellicosum, Marchionem Misniæ, sed nec hic consentie-  
bat:

bat: denique Gautherum Com. Swarzburg. qui Imperatorem declarari se patiebatur inquam & hic mox in ordinem redigetur à Carolo, ut sibi imperare liceret.

### §. VIII.

Exiguam tamen apud historicos passim laudem meruit, sicuti videre licet, dubi administrationis Imperii ejus historia evolvitur. Omnes enim cerebrum mentionem faciunt ingentium ipsius errorum & damnorum, quæ Imperio ipsius culpa illata sunt.

### §. IX.

Nam postquam Competitores Imperii sibi contrarios variis modis & præcipue pecunia placasset, (legimus autem, quod Comiti Swarzburgica viginti duo millia marcarum argenti & duas lutes Imperiales promittere opus habuerit: Friderico vero Marchioni Misniae decem milia marcarum solverit, ut Imperium cederent. vid. Wolffii Lect. Mem. T. I. f. 2642.) transalpizavit, ceu loqui amant, & Coronam Mediolanensem ferream, quam dicunt, Mediolani an. 1354. accepit, tumque familiae Vice-Comitum, qui Mediolani frumentum valebant, ingenti pecuniae summâ accepta, Vicariatum perpetuum per Longobardiam concessisse fertur, vid. Gottesfrid. Chron. f. 610. Inde Romam prefectus etiam corona Rom. coronatus est ipso festo Paschali anno 1355. Hæc coronatio hodié usitata non est; Licet enim olim magna pompâ ingentibusque sumtibus ob eandem etiam expeditiones Rom. die Römer-Züge fuerint institutæ, hodiè tamen nomen der Römer-Züge retinetur quidem, sed aliis collectis, simili collectandi modo impositis applicatur. Papæ tum temporis Carolus multa se indigna promisit, v.g. se in Italia nullos vicarios urbibus Imperialibus præfecturum inscio Pontifice: se statim à coronatione discessurum Roma, nec invito Papa reversurum, &c. Quamplurima etiam donavit Papæ, summo cum Imperio damno & incommodo. vid. Conring. de Finib. I. l. 2. c. 20. §. 15. ubi tabulæ donationum & promissionum istarum ex Bzovio exhibentur.

### §. X.

Wolffius Lect. Mem. l. c. fol. 782. prolixam præterea seriem, damnorum à Carolo IV. Imperio injectorum affert ex Theodorico à Niem, Tritheimio, Nauclero & aliis. Sic memorat, Ludovico, Duci Andegavensi ejusque heredibus Carolum pro uno solenni

præ-

prandio Regnum Apelatense tradidisse. Quā de re tamen Conring.  
de fin. l. 2. c. 74. §. 15. sqq. disputat, quantum nempē per donatio-  
nem istam Gallo accesserit, item an hæreditarium inde jūs glo-  
riari queat.

§. XI.

Porrò ap. Wolffium l. c. item Lehmann. *Chron. Spirens.* l. 7.  
c. 40. p. 783. legimus, Imperatorem Carolum 16. urbes Imperiales  
vicinis Principibus vendidisse. Nec quenquam latere potest, quod  
ipse cuique Electorum centena millia aureorum promisisse  
credatur, ubi Wenceslaum, filium suum successorem in Imperio  
nominarent; & quod, cum solvere ea non posset, quibusdam ve-  
tigalia, quibusdam verò urbes certas oppignorare opus habuerit.  
vid. Lehm. *Chron. Spirens.* l. c. & Wolffium l. c. p. 974.

§. XII.

Et verò, dum malè ita Imperium administravit Carolus, male  
quoque passim audit. Maximilianus I. Imperator dicere solitus  
fuit: Carolum IV. fuisse dissipatorem Imperii, alterum Crassum,  
Vitricum Imperii, & pestilentiorē pestem Germaniæ nunquam  
obtigisse. *Lansii Consult. Orat. pro Gallia* p. m. 105. Theodoricus à  
Niem scribit: Si emtorem Carolus invenisset, ipsum etiam Impe-  
rium eum venditum fuisse.

§. XIII.

Bella, quæ Carolus IV. gesserit, multa invenire non licet, nisi  
quod Gottfredus in *Chronico suo* f. 621. belli, quod cum Duce Wür-  
tenbergico ipsi fuerit, meminit. Et Lehmannus *Chron. Spirens.* l. 7.  
c. 37. p. 782. loquitur de bello ejus, cum Philippo Duce Austriæ ge-  
sto. Et licet ob componendos Welforum & Gibellinorum motus  
in Italiam concederet, parum tamen effecisse eum & exilem glo-  
riam reportasse scribit Gottfredus l. c. Quæ inter Güntherum &  
Carolum gesta fuerint, & quomodo per duos menses hic illum Fran-  
cofurtum cingentem adspicerit, nota etiam sunt. Contra Ludovi-  
cum Bavarum, contra quem Imperator à quibusdam electus fue-  
rat, validum exercitum Carolum eduxisse memorat Lehmannus l. c.  
p. 779. cum tamen in itinere de morte Ludovici cōperiret, gratias  
egit Deo, quod sanguinem profundere necessum non haberet.

§. XIV.

A justitiæ studio commendari præcipue solet, nec non amore  
litera-

literarum ac scholarum. Pragensem enim Academiam instituit, Lehmann. *Chron. Sp. l.7. c.38. p.783.* Literarum fuit ipse peritus, quinque etiam linguas calluit; Goldastus *Rational. p.103.* ex Historiographo Coloniensi allegat hæc de Carolo IV. scripta: Ind was ein geleirt wñß Fürste. He hadde lange zo Parys in Frankrych gestanden ind studiert; ind kunde die swarze Kunst / als eßliche sagen. item, Ind kunde vñss Sprachen / unter den hadde he duytsche Sprache allerliebst.

Sed inter ea, quæ maximè præ aliis laudabiliora perfecit, omnia, primum locum occupat A. Bulla, quam condidit an. 1356. qua certè Imperio non parum profuit, & quamplurimis periculis atrocissimis alias imminentibus viam præclusit. Unde encomia tot tantaque A.B. dari solent. Frehero lex nobilissima dicitur; alibi nervus firmissimus pacis publ. audit, quidam firmamentum, propugnaculum, munusque tranquillitatis & pacis in Imperio eam nuncupant.

### §. XVI.

Nempe ante tempora A. Bullæ status erat longè gravissimis sæpè turbis & contentionibus obnoxius, sic ut raro aliquis actus solennis celebraretur, qui publicis rixis & contentionibus non esset notus.

### §. XVII.

Referam potiora breviter, quæ statum Imperii, qualis ante A. Bull. fuit, attinent, & circa quæ in A. B. dispositum legitur. Quantum ad Imperatorem, is jam tum eligebatur, & obtinuerat electio jam jam vel à tempore extinctæ lineæ Carolinæ; (nam sub Carolingis Imperium hæreditarium magis fuisse legimus apud Monzambanum, siue, qui sub hoc nomine latet, *Pufendorfium de statu Imperii Germanici cap. 4.*) Usque ad Henricum VI. quidem sanguinis ratio admodum habebatur, ita ut plerumque in solium Imperium evenerent, qui ortum ex stirpe Imperatoria duceret. Ast, quamquam nec hoc hæreditarium Imperium reddiderit; illud tamen etiam post Henricum IV. qui Papæ rabiem non mediocriter expertus est, desinere debuit, constitutione à Principibus Forchheimi fabricata, quod, licet filius Regis valde dignus sit Imperio, ipse tamen non per successionis lineam, sed electionem spontaneam proveniet. vid. totam hanc constitutionem apud Lehmannum *Chr. Sp. l.5. c. 17. p.413.* & Conring. *de Septemviris. §. 20.* Et ita successio continua usque ad tempora Caroli IV.

adiu

B

### §. XVIII.

§. XVIII.

De iis itidem qui hanc electionem perficerent, res clara erat. Ut p  
ut enim de vera Electorum origine accuratè nil eloqui valeamus, illud  
tamen ex historicis cognitum est, quod olim electionem omnes Principes Imperii peregerint, imò & populimentionem sàpè reperimus fieri, quod electionibus istis interfuerit, ceu patet ex electione Ottomum  
II. & III. Henrici II. Conradi II. Henrici III. Henrici IV. vid. Lehmk.

*Chr. Sp. l. 5. c. 17. p. 409. 411. 412.* Novimus etiam solis Principibus postmodum hoc jus vindicatum referri, excluso populo, qui com  
modioris electionis gratia quibusdam certis ex ipsis, fortassis iis, qui officia illustria, uti Dapiferatum, Mareschallatum &c. tum gere  
bant, commissum fuisse, ita tamen ut ad prætaxationem Principum reliquorum essent restricti, vid. Lehmk. *Chr. Sp. l. 5. c. 17. p. 416.* Nec ignotum est, quod tandem ad solos 7. illos Principes Electores, quos in A. B. advertimus, electionis jus devolutum fuerit, id quod post interregnum Magnum demum observatis factum fuisse, (nám ante Fridericum II. nulla Electorum mentio reperitur apud ullum historiorum eorum temporum.) Cum nempe post hunc Fridericum II. ubi status erat turbulentissimus, Imperium in Anarchiam penè degeneraret, & multi temp. parum curarent, atque ita jus istud hi 7. officiales sibi solis sumerent, reliquis Principibus vel ob imbecillitatem fortassis vel negligentiam tacite id permittentibus. Unde iidem soli Rudolphum I. primum post interregnum M. Imperatorem elegere, & ab isto tempore usque ad Carolum IV. plures ad electionem Cæsaream vocati non memorantur. Neque item eam ob causam motam legi.

§. XIX.

Adeoque falso à quibusdam adstruitur, quod Carolus IV. Ele  
tores in A. B. instituerit, & eam quidem ob causam, ut sic incommo  
da ex numero nimio eligentium resultantia tollerentur. Nam, ut ratio  
hæc non expungenda ex iis, quae Electorum constitutionem sua  
serunt, Carolus tamen, ut non electionem ipsam Cæsarlis, ita nec Ele  
tores potuit constituere, sed confirmare, dum & illa, & hi, uti ab ori  
gine sua utcunq; ex historia probavi, jamjam obtinebant, nec con  
troversia eam ob causam movebatur.

De modo igitur pervenienti ad Imperium, nec non de Electo  
ribus

ribus in tantum expedita, cum A.B. conderetur, res erat; ut facile appareret, quomodo Imperio vacante novus Imperator succedere debat, nempe per electionem, item, à quibus electio ista instituenda veniat. Ast tamen utrinque incommoda varia & simultates non defuisse observaveris. *Principum, qui se Electores vocant, eousque ambitio exarserat, ut primum sibi quisque locum, præcipuamque authoritatem in eligendo assidendoque vindicaret, ne dum ut alius alium in honore deferendo preveniret.* Dubrav. l. 2. hist. Bohem. cit. ab Arumæo Disc. I. §. 6. Deinde etiam ceremoniæ & consuetudines multæ in electione & aliis negotiis Imperii usurpandæ literis non comprehendebantur, sed ex relatione majorum obtinebant, ex iis verò diversimodè observatis vel relatis, in rebus præcipue raro occurribus errores & discordiæ crebræ resultabant. Sæpè etiam privati affectus lites inter Electores ob electionem excitabant.

### §. XXI.

Thronus Imp. qui post Fridericum II. ingenti cum damno Imperii satis diu vacuus fuerat, postea aliquoties iterum per longius tempus absque Imperatore conspiciebatur; Ita Henrico VII. defuncto ultra annum obtinuit, Lehm. Chr. Sp. l. 7. c. 14. §. 742. Sique deinde electio iterum instituenda erat, opus videbatur, ut quis esset, qui reliquos Principes Electores ad istam convocaret. Et heic ex ipsa A.B. discimus, quod ante illa tempora Moguntino jamjam istud juris competierit: Sed tamen Cuspinianus in vita Caroli IV. electionem hujus, quæ etiam ante A.B. facta, inter alia & ideo pro invalida habitam refert, quia modo legitimo facta non fuerit, dum Palatinus ad istam Electores convocârit.

### §. XXII.

Interdum quidam omittebantur, ita ut ad eligendum Cæsarem non vocarentur, vel ipsi etiam ob aliam causam emanebant: Et his deinceps interea absolutam electionem ratam habere nolentibus, contentiones sæpen numero non leyes nascebantur. Arumæus Disc. I. §. 25. p. 58. id ex historia probat, producendo ex Urspergensi exemplum sub Ludovico Bavarо notius. Nempe, cum Electores seculares non expectatis tribus Archiepiscopis Electoribus ad Electionem Ludo-vici pergerent, Archiepiscopi nullam eam electionem esse contendisse. Porro ex Cuspiniano in vita Caroli IV. cuius electioni varii con-

tradixerunt, quia non apertè, sed latenter, i. e. non omnibus Electo-  
ribus legitime, & ut oporteret, convocatis peracta sciatur.

§. XXIII.

Diversis subinde in locis Electores convenientes, & ipsi etiam in  
partes scissi, non unum eundemque, sed plures saepe Cæsares nomina-  
bant, qui postmodum invicem collisi, atrocissimis Imperium bellis in-  
volvebant. E.g. Cum Henricus VII. à monacho quodam, Cuspinia-  
no, Aventino &c. recensente, venenata hostia accepta (quod tamen  
Maimbourg vom Absfall und Abnahme des Körn. Reichs/l. 5. p. 886.  
negat) obiisset, novusque Imperator constituendus esset, convenire  
in idem Electores non potuere, aliis Fridericum Austriacum, aliis Lu-  
dovicum Bav. nominantibus; Proclamatio etiam ita directa, ut una-  
quæque pars coram illis, quos secum adduxerat, eam fieri curaret,  
Ludovicus etiam Aquisgrani à Moguntino, Bonnae autem à Colonien-  
si Fridericus coronam impositā gestaret. Item mortuo Ludovico Bava-  
ro contra Carolum à quibusdam quidem Imp. jamjam electum, cæ-  
teri Comitem Swarzburgicum declarabant, utroque vero horum ad di-  
gnitatem quam semel accēperat, cedendam parum proclive, content-  
tiones non leves eratæ. Lehm. Chr. Sp. l. 7. c. 34. p. 779. Maimbourg.  
l. c. pag. 1046. sqq.

§. XXIV.

Quod coronationem Imp. concernit, invenimus apud histori-  
cos, non uno in loco ante A.B. istam celebratam, sed modo Aquisgrani,  
& quidem plerumque modo Francofurti, modo Bonnae Diadema Impe-  
ratoribus imposuisse interdum Moguntinum, interdum Colonensem.  
Moguntinus tamen ab Ottone I. usque ad Conradum II. inclusivè jūs  
istud possedit, refer. Coccejo Prud. Jur. Publ. c. 8. §. 24. Cumq; Frider. III.  
à Coloniese inaugurarī voluerit, hic munus illud retinuit usque ad A.  
Bull. Ludovicum tamen Bavarum Moguntinus quoque coronavit.  
Lehm. Chr. Sp. l. c. p. 742.

§. XXV.

Vicariatum ante A.B. Palatino jamjam competuisse, ex allegato  
in A.B. privilegio Palatini evincere molitur Limnæus, item Arumæus.  
Et ex Aventino constat, quod utique post Rudolphum I. antequam  
Adolphus Imperium caperet, Palatinus Rheni Vicarius fuerit. Nihilo-  
minus tamen Papa Benedictus legatis Ludovici Bavar. absolutionem à  
banno

banno impetrandi gratia missis dicere non est veritus, *Cum Ludopius*  
*cis nunc ab Imperio remotus sit, se, Papam, nec alium Vicarium Imperii esse posse.* Quo facto Ludovicus comitia an. 1339. habuit, ubi  
publice statuit: *Falsissimum esse, per vacationem Imperii jus ad Pa-*  
*pam devolvi. &c. longa & approbata consuetudine vacante Imperio jus*  
*administrandi Imperii jura, Palatino Rheni debere.* Goldast: I. 3.  
*Constitut. Imper. p. 411.*

§. XXVI.

Officia, quæ hodie Electores obeunt, & tum, ubi A, B. nondum  
lucem aspicerat, eosdem jam sustinuisse docent ii, qui statuunt jus eli-  
gendi Principes eos olim ad se paulatim traxisse, qui officia illustria  
comissa tum habuerint. Adhuc observamus ex electione Friderici II. quod ibi Electoribus officia, quæ hodie habent, attribuantur.  
Lehm. *Chr. Sp. l. 5. c. 6. p. 416.* Sed tamen Juliacensis Carolo IV. cum  
Aquisgrani inaugurateur, sceptrum præferre conatus fuit, cui vero  
Elector Brandenburgicus restituit, id sui munericus esse affirmans. Limn.  
T. V. addit. ad 1. P. p. 214. ex Aventino.

§. XXVII.

Ingentes semper de jure ~~regos dęcęs~~ ac præcedentiæ inter Principes Imperii olim controversias ortas fuisse, ex inspectione scriprorum germ. patet. Scilicet omnes ita non sentiebant, uti quondam sensisse dicitur Ulricus, Dux Würtenb. qui controversia de ordine in con-  
ventu Principum servando exorta, colloctis me, inquit, post fornacem dummodo id efficiamus, ob quod congregati sumus. Meland. Jo-  
cos. l. 1. n. 259. Quin potius quisque locum quem sibi competere pu-  
tabat, strenue defendebat. Occasionem autem istorum litigiorum  
Carpzov. *de Lege Reg. c. 10. p. 7. n. 39.* suspicatur fuisse, quod, cum Co-  
mitia habenda essent, saepenumero plurimi emanserint, ita ut non ra-  
ro differenda ipsa comitia venerint, ibi vero verosimile esse, præsentes  
absentium loca occupasse, hosque postmodum redeentes, ad ultima  
remissos illis idcirco litem mœvisse.

§. XXVIII.

Sic inter Moguntinum & Coloniensem sub Henrico VII. Imp. propter locum honoratiorem contentionem ortam memorat Arum.  
*Disc. 3. §. 1. ex Cuspin.* Item cum Henricus VI. Moguntiae coronandus  
esset, à dextris Friderici I. Imp. Moguntinus, à sinistris Colon. sedebat,  
Abbas Fuldens. vero locum sibi ad latus sinistrum Cæsaris exposcebat,

quiem Coloniensis obtinebat: Cedebat Coloniensis quidem disensu  
Cedo Abbatii Archiepiscopus, Monacho Princeps Elector; tandem  
tamen post plurima verba, Abbas inferiorem locum capere jubebatur  
a Friderico. Wolff. *Lect. Mem.* T. I. p. m. 973.  
§. XXIX.

Talis igitur ante A.B. status obtinebat turbulentus: Quem cum  
Carolus noster IV. adverteret, à coronatione Romana reversus, Co-  
mitia Norimbergæ instituebat an. 1356. Ibidemque de mediis, malis ha-  
etenus exsurgentibus inveniendis tractabat. Quæ proinde circa sta-  
tum Imperii publ. ordinanda & statuenda censebantur, ea in chartam  
conjecta, libro aliquo comprehensa, A.B. nomen sortiebantur, ob ap-  
pensam, ut supra dictum Bullam A. Distincta erant ista omnia in 23. ca-  
pita, quæ deinde dicto anno d. 4. Id. Jan. Norimbergæ edebantur, vid.  
fin. proœm. A.B. Confœcta autem ea esse in domo am Ponersberge sita,  
probat Thulemarius de Bulla Aurea argentea Sc. c. 6. §. 12., cuius do-  
minus insigne hodiè sit clypeus aureus, (Guldene Schild) videri adhuc  
ibi conclave, in quo Carolus IV. cum Statib[us] tum congregatus fu-  
rit, item capellam à consecratione solenni A.B. celebrem. Alia deinde  
adhuc capita 7. Metis adjecta eodem anno die natal. Christi. vid. rubr.  
6. 24. A.B. §. XXX.

Hujus Aureæ B. exemplar singuli Electores accepisse memorantur.  
Francofurtum ad M. etiam exemplari avthentico gaudet, quod in cu-  
ria Römer dicta asservatur, & à Secretario Sénatus cuilibet desideranti  
ostenditur. Thulemarius exemplar hoc ideo ibi depositum censet, quòd  
si in electione forte controversia aliquando oriatur, statim ad id recur-  
ri, & quæstio decidi queat. Exactam totius Bullæ A. descriptionem  
habet Thulemar. l. c. nam ipse eam inspexit, & copiam ejus confecit.

§. XXXI.

Conscripta fuit A.B. lingua Latina, ( unde satius, pro deciden-  
dis controversiis textum latinum præ germano allegare,) juxta Thule-  
marii conjecturam, ut Papæ R. & aliis Germanici sermonis lignaris in-  
notesceret, quid bulla hac A. circa electionem Cæsar, aliaque Impe-  
rii negotia statutum esset. An licuerit Cæsari adhibere Latinam lin-  
guam, neglecta Germanica, disputatum vid. à Limn. *ad A. B. Obser.*  
*prælim. 1.* §. XXXIII.

Dixi §. 29. in Comitiis enatam esse Legem præsentem; Id pa-  
ret partim ex verbo proœmii *in curia solenni*, partim ex sequentibus:

Assi-

*Assidentibus nobis omnibus Principibus Electoribus, ac aliorum Princi-  
pum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum multitu-  
dine numeroſa.* Quoniam enim comitia instituisse dicitur Carolus,  
Lohm. l. 5. c. 15. p. 787. convocati omnino fuere, qui ad eadem specta-  
runt, nam agendum erat de re omnes utique tangente; & convenere  
etiam magna frequentia; sed qui adfuerint, eorum nomina expressa  
non invenimus, sicuti quidem alias in Recessibus Imperii fieri solet.  
Nequaquam vero nudæ pompæ causa, & ob A. B. promulgationem,  
sed propter constitutionem ipsam & confectionem ejus convolarunt,  
vi verborum: *prævia matura deliberatione sancimus.* Nam aliæ ver-  
bum edidimus sufficisset. Nec tamen qui præsentes erant omnes in  
universum, sed Electores de quibusdam faltem cum Cæsare conveni-  
ſe videntur ex cap. 3. 12.

### §. XXXIII.

Ex his quilibet facile perspicere potest, quis, ubi capita quædam  
A. B. mutanda veniunt, id perficere debent. Communis enim Politi-  
corum est regula: Eorum est mutare leges, qui eas tulerunt. Pufend.  
de J. N. & G. l. 1. c. 6. Cumque historia doceat non solum Cæsarem  
A. B. autorem esse, facile apparet, Cæsarem etiam solum mutationem  
A. B. sumere sibi non posse. Accedit quod ex historia Capitulatio-  
num notum sit, quod ibi id ipsum Cæsar sibi non convenire fateatur;  
vid. Capit. Josephi Art. 2. 37. Nec per modum reservati, sed tanquam  
Jus Comitiorum Jus mutandi legem univers. habeat.

### §. XXXIV.

Pariter inde colligitur, à solis Ordinibus A. B. mutationem non  
fieri posse; quoniam nec his solis acceptam eam ferimus. Præterea-  
que potestas legislatoria, quæ sub iuribus Comitiorum continetur, ad  
jura Majest. numeratur. A nullo tamen Jure Majest. Imperator ex-  
cluditur. Quin quædam solus ipse possidet; Nequit igitur sine Cæsare  
in A. B. in re omnes Status tangente & ad Comitia spectante quid  
mutari: Imò etiam si est materia quæ à solis Electoribus tractanda yi-  
detur, nec ab ipsa tamen exclusivulc Cæsar. vid. cap. 12. A. B.

### §. XXXV.

Hactenus in historia A. B. recensenda post alia de causa impulsiva,  
ubi de statu ante A. B., deinde efficiente egimus. Nunc sequitur bono  
ordine, ut objectum reale, simulq; finem tangamus. Quæ quidem ma-  
nifesta

nifesta sunt ex causa impellente. Quoniam enim status Imperii ante tempora A. B. subinde admodum fuit turbulentus, non alium scopum Carolus IV. habuit, quam ut concordiam inter Electores maxime induceret. variisq; inde resultantibus periculis aditum præcluderet, ceu docet Proœm. A. B. Quanquam enim Monzambano *de Statu Imperii Germanici* cap. 4. §. 6. afferat, Carolum IV. ut Wenceslao filio suo Imperium pararet, A. B. condidisse, minimè tamen video, quomodo cum Chronologia id ipsum conveniat, cum A. B. An. 1356, Wenceslaus autem demum An. 1361 lucem aspicerit. Dispositum ergo habemus in A. B. de statu Imperii publico, qualis esse debeat.

### §. XXXVI.

Exordium maximè desumptum est à concordia & discordia membrorum rerum publ., hujusq; effectu. Ex historia sacra & profana variè illustratur. Floribus etiam Oratoriis, & figuris affectuosis, subinde exornatus est stylus. Ut: *Dic superbia*, quomodo in Lucifero regnasses, si divisionem auxiliatricem non habuisses? *Dic Satan invide*, quomodo Adam de Paradiso ejecisses &c. *Dic Luxuria*, quomodo Trojam destruxisses, nisi Helenam à viro suo divisisses? &c. Limnæus tamen ad A. B. pag. 119. non admodum feliciter flores hos adhiberi, seculum tamen veniam mereri putat.

### §. XXXVII.

Cap. I. agit juxta rubricam de conductu Electorum qualis esse debeat. Longè plura verò complectitur; sic enim ibi invenimus dictum 1) de intimatione mortis Imperatoris, & convocatione ad electionem novi Capitis, quæ à Moguntino fieri debet cæteris Electoribus, & quidem à notitia mortis Cæsaris intra unum mensem. 2) de salvo conductu Electoribus præstanto, de quo partim generaliter, quatenus omnibus præstari Electoribus ab omnibus debet: partim specialiter, quatenus huic & illi ab uno vel alio requiritur. 3) de introitu in urbem Francofurtum, quot viris stipatus quisque Elector esse debeat, & quot inter istos armatos ducere liceat. 4) de officio Francofurtensium, & securitate Electoribus ab iis præstanta &c.

### §. XXXVIII.

Secundum caput inscribitur de electione Regis Rom. & docet, quæ antecedere eam debeant, uti sunt celebratio Missæ, item juramentum Electorum, quod velint eligere idoneum & aptum Imperio, nec ullis

ullis affectibus occupati. *Inde*, quomodo ipsa electio perficienda, ita scil. ut nolint abire, antequam per majora caput Imperii electum fuerit. Tempus etiam additur, intra quod electio absolvenda, idque 30. dierum, quibus elapsis, & electione nondum finita, panem manducent & aquam bibant Electores, (quoniam nec vinum Rhenanum, nec similagineum panem denegatum ipsis iri ducam.) Quidque cum eo, qui tardius ad electionem accedat, faciendum sit, etiam extat, ut nimis in eo statu admittatur, in quo tempore adventus ejus actus electionis consistit. *Tum*, quid sequatur electionem, uti confirmatio privilegiorum, traditur.

### §. XXXIX.

Caput tertium sessionem trium Archi-Cancellariorum ordinat. Quartum sessionem Electorum in communi, & ordinem in votando prescribit, nec non officia Electorum secularium, Coloniensis etiam officium coronandi Cæsarem memorat.

### §. XL.

Quintum Caput Vicarium Imperii nominat Comitem Palatinum & Saxonie Ducem, ac recenseret, quid hoc nomine juris utriusque competit, v.g. potestas judicia exercendi. ad beneficia Ecclesiastica praesentandi, redditus colligendi &c. sub finem quoque adhuc aliud quid Palatino assignat, i.e. quod coram eo Imperator, ubi pro causa aliqua impetus fuerit, respondere debeat, simul vero subjungit, ubi institendum tale quid veniat.

### §. XLI.

In capite sexto determinatur locus Electorum, quem tenere queant, ubi cum aliis Principibus convenient, isque omnibus, cuiuscunque status, dignitatis, præminentiae & conditionis sint, Principibus aliis anteponitur. Caput septimum docet 1.) quis Electoribus secularibus in Electoratibus succedere valeat, nempe Primogenitus filius, & hoc sine heredibus demortuo senior frater per veram paternalem linneam descendens: 2.) Quis tutor pupilli Electoralis constituendus sit, quotque anni ad maiorenitatem Electoralis pupilli requiratur. 3.) quid circa vacuos Electoratus observandum veniat. Caput octavum Bohemiæ privilegia quædam tribuit, ut subditi ejus Regni nequeant conveniri, nisi in tribunal Regni, nec à sententia in Regno lata, alio extra Regnum appellare integrum sit.

### §. XLII.

Caput nonum Electoribus Singularia quædam concedit, nempe

C

mine-



mineras aurī, argenti &c. Pariter & Caput *decimum*, in quo jus monetam cūdendi fundatur: Nec minus *undecimum*, quippe, quod idem privilegium affert reliquis Electoribus, quod Caput *octavum* Bohemiz Regi tulerat.

§. XLIII.

*Duodecimum* Caput tempus præscribit, quando Electores convire, & de negotiis ac salute Imperii deliberare debeant, præfinit autem annum. *Decimum tertium* omnia privilegia, quæ Electoribus noticia esse possunt, ab iis, quibus concessa fuere, revocat.

§. XLIV.

Caput 14. 15. 16. & 17. cavent, ne turbæ ac seditiones, contra Dominos maximè suos subditi & cives causentur, & poenas tale quid molestientibus annuntiantur.

§. XLV.

Sequuntur in Capite 18. literæ, seu modus juxta quem ex compogni debent, ubi mors Imperatoris & electio novi capitis Electoribus est intimanda. Capite 19. iterum formular literarum habetur, quas procuratorum dicunt, quibus patefit, legatum missum abs Electore quopiam, plenam ab ipso potentiam eligendi accepisse.

§. XLVI.

Caput 20. prohibet, quominus Electoratus dividantur, discerpantur. Caput 21. disponit de ordine inter Archiepiscopos Electores in processionibus servando, supra enim cap. 3. de ordine sessionum dictum fuit. Ita postmodum caput 22. ordinem in procedendo à secularibus Electoribus observandum explicat unà cum officiis, quæ ipsi incumbant. Et 23. Caput Ecclesiasticis iterum exhibet officia ipsorum, per benedictiones post Missas, item ante & post cibos captos præstanda.

§. XLVII.

Porro Electorum cura habetur in Cap. 24. & poena in eos statuitur, qui vitæ illorum insidias struunt. Caput 25. cum Cap. 20. quoad multa convenit. In Cap. 26. 27. 28. de iis, quæ in euriis solennibus observanda, variis ordinatum videmus. Caput 29. disponit de iis, quæ solvenda sunt ab Electoribus, si feuda sua ab Imperatore recipiunt. Et ultimum tandem caput vult, ut filii Electorum in linguis variis instruantur.

§. XLVIII.

sqmque wino-  
nibus singulis duplam concessit, dñeque

C

## §. XLVIII.

Hæc sunt A.B. nostræ Capita, & eorum materia. Quædam ex iis probe observata, à multis verò etiam postea recessum fuisse, ex historicorum inspectione patescit. Alias enumerata jam capita alio modo prolixiori recenset Limnæus ad A.B. Obs. prælim. 5. n. 4. in tabula aliqua, quam vide, si lubet. In præsentia de iis, quæ adduximus, singulis prolixius tractare nobis non vacat, cum id Politico potius convenire videatur. Qui omnia ista accuratius perpendere amat, evolvat Limnæum, Arumæum, Rumelinum, Buxtorffium, Ostermannum, Dictericum, & alios.

## §. XLIX.

Cæterum circa valorem A.B. notatu dignum invenio, quod, cum superiore seculo Carolo V. prima capitulatio præscriberetur, in eadem etiam de A.B. cautum fuerit, ita, ut, cum Capitulatio ista jam proslit (primam paginam facit statutorum & rescriptorum Imp. à Goldasto collectorum,) expresse legamus Cap. 2. 32. quod Cæsar promittat, se tam A. Bull. vim nullam illaturum, quam ut ab aliis idem fiat, non permisurum. Et similem in modum id argumentum per subsequentes capitulationes usque ad nostra tempora observatum fuit. Ubi tamen historiam A.B. cum historia Capitulationum contuleris, comprehendes, quod uti ipsæ Capitulationes successu temporum auctæ fuerunt, ita nec omnia, quæ A.B. concernunt ab immutatione manserint immunita.

## §. L.

In ultima Capitulatione, Augustissimo Josepho I. Romanorum Règi, quem Deus nobis diutissime servet, Augustæ an. 1690. d. 14. Jan. proposita c. 2. & 37. de A.B. pariter actum legimus. Ad hanc servandam se obligat Josephus benj seinen Königl. Würden und Werten / imd & juramento sacratissimo, se non tantum contra A.B. nil esse moliturum, sed eandem defensurum. imd pro rerum necessitate aucturum.

## §. LI.

Atque hæc sunt, quæ de historia A.B. congerere volui, nempe quæ spectant antecedentia constitutionis ejus, ubi de causa impellente & statu ante A.B. Bullam, deinde concomitantia, ubi de ipsa confectione & hujus circumstantiis, tandemq; subsequentia, ubi de iis, quæ à condita A.B. acta fuere, dicendum fuit.

C 2

§. LII.

<sup>23 msb</sup> Conring de Origine Jur. germ. c. 27. dicit: *Hodie A. B. authoritati multum detractum est, cum primis ex quo illa, quæ ibi sunt consensu omnium Ordinum constituta, privatim vitii accusare, imo damnare licuit.* Interdum vero necessitas publica postulavit, ut quædam se-  
cūs, quam in A. B. legitur constitutum, fierent.

## §. LIII.

In Institutione Electoratuſ ſectavi hoc ſeculo ab A. B. recessum fuisse extra dubium eſt, ſive eorum ſententia obtineat, qui expreſſe numerum ſep̄tenarium in lege hac publica determinatum, & omnem extensionem præcisam eſſe autumant, ſive ii acu rem tangant, qui numerum Electoruſ ſep̄tenarium, quippe non legiſimative ſed pro re na-  
ta & incidenter tantum in A. B. relatum, hanc quaquam contra, ſed citra diſpoſitionem A. B. augeri volunt, indeque potius ex c. 20. A. B. oſtendere ſatagunt Octauum Electoratum legi Cirolinæ contra ve-  
nire, cum in iſto capite diſiō unius Electoratuſ in plures interdicatur, ex Palatino autem Electoratu nunc duo reſultent, & una domus tria vota imposterum in Collegio Electorali numerare queat, Colonienſi Electore ex Domo Palatino. Bavaria diu electo. *vid. refut. des Hohen Reichs Rechtens &c.* Ipſe Ferdinandus III. iſtitutum hoc memoratum cum A. B. pugnare fassus eſt. *Ibid.*

## §. LIV.

De Vicariatu Imperii etiam ex A. B. diſputatum fuit hoc ſeculo, Nimirum translato Electoratu ad Lineam Wilhelminam, & reſtituto poſtmodum Palatino, poſt mortem Ferdinandi III. de Vicariatu lis exoriebatur. Nam Bavarus & Palatinus juſ ſuum urgere ni-  
tebantur, ille quidem per Christoph. Gewoldum; Hic per Marquardum Freherum. In A. B. illud officii Palatino conceditur, cum autem Bavarus locum Palatini nunc obtineat, Vicariatum itidem ad ſe per-  
tinere contendebat. Econtra Palatinus, reſtitutum ſibi Palatinatum, per Pacem Westphalicam dicens unā cum annexis, inter quæ & Vicariatum numerabat, quippe quem ratione Palatinatus, non Electoratuſ ad ſe ſpectare aſſerebat, de jure ſuo remittere quid dubitabat. Ille (Bavartus) ad Electoratum referre ſatagebat Vicariatum, provocando inter alia ad verba A. B. editionis Germ. des Churfürſtenthumis und Pfalz-Gräfſchafft wegen. Ast hic (Palatinus) ex latino exemplari conclu-

concludendum affirmabat, quod plane aliud ostendat. Bavarus ulterius excipiebat: si etiam esset Vicariatus annexum aliquod Comitatus, nec tum tamen ad Palatinum redire posse, cum & ipse, Bavarus, partem jam Comitatus istius possideat. &c. Vide den Bericht / daß das Vicariat &c. Carol Ludwigen Churfl. Durchl. justehe. Exhib. Limnæus tom. 5. addit. ad f.P.l. 3. c.u.p. 215.

Res novo Imperatore Leopoldo electo in decisa relicta, Interim durante interregno memorato post mortem Ferdinandi III. Ut rerum horum Vicarium se gerebat. Quid circa totum negotium hoc cum A.B. conveniat, quid secus, nos non determinare audemus. Neque nostrum est, de nono jam Electoratu noviter constituto disquirere.

#### §. LVI.

Porro ab A. Bulla recessum fuisse ex duabus historiis ob tutelam Electorum finiente superiori & inchoante nostro seculo notis constat. Ultraque in Domo Palatina dabatur. Prior authoris fama celebris est, nempe Ludovici V. qui licet Calviniana religione innutritus, eam tamen iterum deseruit Lutheranam amplexus. Unde & Lutherani nomen tulit, Formulæ Concordiæ etiam subscriptio. Cum hic mortem sibi imminere putaret filio suo Friderico IV. adhuc Minorenni de tutori perspiciebat, ita quidem, ut in Testamento suo carveret, ne frater suus Joh. Casimirus (à quo, quippe Calvinianæ Religioni addicto Religionis periculum filio non falso metuebat) Solus Friderico filio tutor constitueretur, sed contutores Lutherani eidem adjungerentur; Ast mortuo Ludovico, Joh. Casimirus sibi soli tutelam vindicabat, Adream Ballam obtendens, quâ testamentario tutori rejecto, proximo agnato tutela pupilli Electoralis defertur, c. 7.

#### §. LVII.

Posterior casus Friderici V, infelicem ex historia belli Bohemici dixeris, memoria clarus est. Hic enim à patre Friderico IV, maxime pere religioni Calvinianæ dedito tutorem testamentarium acceperat, Comitem Palatinum Bipontinum, itidem Calvinianam fidem profidentem, propinquiore agnato Comite Palatino Neoburgico, quod Lutheranam religionem sequeretur neglecto. Idem enim augurabatur filio Fridericus IV. quod Pater ipsius Ludovicus V. suspicatus fuerat. Obtinebat Bipontinus in possessorio, ceu loqui amant; lis

verò ipsa nondum expedita erat, cum Fridericus V. majorenitaris annos attingeret.

### §. LVIII.

Annus 18. eodem c. 7. definitus est, quo superato demum pū-  
pillis Electoralibus se ipsos in propria persona Electores gerere &  
administrationem regiminis capere liceat. Nihilominus Joachi-  
mus Nestor, patri Johanni, Ciceroni Germaniæ (a facundia & elo-  
quentia ita dicebatur) successit in Electoratu Brandenburgico an-  
no ætatis 16, accepta interpretatione loci A. B. à Moguntino Elec-  
tore: id scilicet saltem innui, quod ante 19. annum nullus primoge-  
nitus Electoralis electioni Regis Romanorum interesse debeat, inte-  
rim successionem isthoc non impediri; Fundamentum hujus distin-  
ctionis ex contextu capituli hujus hauriendum est.

### §. LIX.

Cum Bohemus ad Maximiliani I. Imperatoris electionem non  
vocaretur, interpretatione res expediri non poterat, ipse enim que-  
relas instituebat, donec tandem poenam quam ideo ab Electoribus  
exigebat iis remitteret, obligatione facta, ipsum nunquam postea  
neglectum iri in tali negotio sub poena 500 marcarum auri ab singu-  
lis Electoribus ipsi pendendarum. Vid. Hartmannus Maurus  
*de coronatione Caroli V. apud Goldastum pol. Imp. p. 274.* In A. B.  
Moguntinus ad Electionem capituli Imperii singulos Electores vo-  
care per literas patentes jubetur, quod tanquam Decanus collegii  
Electoralis habet.

### §. LX.

Coloniensi Electori c. 4. 5. 3. pro reliquis ius aliquod attribu-  
it A. B. dum coronationem Cæsaream ei concedit; Moguntinus ve-  
ro super eo controversiam ipsi movebat, verba A. B. ad quæ ille  
provocabat pro universalibus & perpetuis non agnoscens. Ita enim  
habendum asserebatur: si Aquisgrani, quæ urbs in Diœcesi Colon-  
sita est, coronatio peragatur, vel etiam Coloniae, tum Coloniensi  
impositionem diadematis imperatorii dandam quidem videri, secus  
si extra Diœcesin Colonensem. Composita hæc tandem lis tem-  
pore coronationis Leopoldi ita fuit, ut opera daretur, quo si fieri  
possit, Aquisgrani semper coronatio institueretur, ubi vero obster-  
impedimentum aliquod, sic ut corona alio deportanda veniat, Co-  
lonien-

Ionensis, si in Coloniensi; Moguntinus, si in Moguntina Diœcese contingat, Imperatori eam imponeret. Quod si extra utriusque Regiones eundum sit, alternatim officio isthoc fungerentur. Leopol-dum anno 1658. Francofurti in Regem R. unxiisse refert Limnæus Co-lonensem, Coronam verò omnes tres Electores Ecclesiasticos con-junctim imposuisse. Permisit id tum Coloniensi Moguntinus ( ali-as huic convenisse videtur, cum Francofurt. ad Diœcesin ejus refertur) quoniam, cum controversia memorata decideretur, futuræ coro-nationi Aquisgranum vel Colonia distinata fuerat, ut Coloniensi ea perficienda foret. Acta hujus controversiæ publici juris facta sunt.

### §. LXI.

Cum Carolus V. fratrem suum Ferdinandum I. Regem R. eli-gi vellet, eamque ob causam Electores per Moguntinum convoca-rentur, contra A. B. hoc institutum esse regerebat Saxo & alii pro-testantes Principes, ex eo, quod in A. B. electio novi Capitis ad mortem Imperatoris sit protensa c. i. §. cum autem c. 4. §. ceterum, jam vero Imperatorem non tantum in vivis sed salvum & sospitem adhuc etiam deprehendi. vid. Sleidan. l. 7. hist. p. n. 120. Nihilomi-nus tamen Ferdinandus Rex R. eligebatur, dissentiente licet & pro-testante Saxone. Inquirendum igitur erat, an in A. B. electio no-va ad mortem præcisè Imperatoris restricta habenda sit, nec ne.vid. de eo Limn. J. p. 2. 15. sqq. Quod per Regum R. constitutionem, li-bera electio in A. B. stabilita quadantenus impediatur, aliqui non si-ne fundamento existimant; Unde Maximilianus, Mathiæ fratri, Im-peratori suadebat, ut non tam obtainere studeret ab Electoribus, ut se vivo successor designaretur, sed ut & sibi, Mathiæ, nominatio suc-cessoris concederetur. vid. istud Consilium apud Lundorp. Act. Publ. l. 2. c. 4. p. 162.

### §. LXII.

Caput A. B. 10. Electoribus peculiariter favet. Nam jus mo-netandi ipsis confert. Olim Cæsar is inter reservata erat jus hoc, R. I. de anno 1575. §. dadurch denn. Electoribus inde tamen etiam permisum, vid. A. B. l.c. Imo & aliis statibus concessum postmodum fuisse notissimum est. Quid, quod ii, qui non sunt status Imperii, sed tantum mediati, uti urbes quædam municipales, istud impetra-runt & exerceuerunt. Capitul. Math. §. 34. Obex tamen posita est i-sti rei

QK T 1156

sti rei in Capitulatione citata, & nuper in Capitulatione Josephi art.  
32. Cæterum notum, quod vel vendere vel locare jus hoc status ne-  
queant. R. I. de ann. 1570. §. als auch. Notum etiam quod Cæ-  
sar sibi reservarit jus caput suum in moneta, quam eudit, lauro  
cingendi, id quod statibus denegatum est.

§. LXIII.

Juxta Cap. 22. Palatinus in processionibus pomum Imperiale  
canquam Archidapifer portare debet; Cum tamen Bavarus cum E-  
lectoratu, qui à Palatino ad ipsum transferebatur, dapiferatum ob-  
tineret, pomum etiam istud insigniis suis intulit, Palatinum vero  
coronam in restitutione assumere oportuit.

§. LXIV.

Alias adhuc ejusmodi mutationes ex historia adjungere pos-  
sem, sed telam hic potius abrumpo, utque Deus Imperium Rom.  
Germanicum cum iis, quod sub eo vivunt, clementer protegere, &  
hostes publicos arcere, palmasque victoriae largiri velit, ardenter  
precamur.

---

COROLLARIA.

- I. Sanguis ex cadavere occisi fluens presentiam occisoris non arguit.
- II. Potest quidem respectu diversorum locorum uno tempore Ver & Autumnus esse, sed non simul novilunium & plenilunium.
- III. Nemo gallica legere potest, qui ipsam eam linguam non calleat.
- IV. Ipsas stellas cœlo affixas contemplari possumus, licet cœlum non  
aspiciamus.
- V. Aurea B. mutari potest.

SOLI DEO GLORIA!

107



